



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Norma Historiæ Præsentis.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

HISTORIA NATURALIS ET EXPERIMENTALIS,

Ad contentandam
PHILOSOPHIAM:

sive
Phenomena Universi: quæ est Instaurationis Magnæ
Pars tertia.

Monendi utiq; sunt Homines, & per Fortunas suas rogandi, atq; obsecrandi, ut animos submittant, & scientias in Mundo Mavore querant: quoniam de Philosophia vel cogitationem abijciant, vel modicos saltem, & tenues fructus ex illa sperent, usq; dum Historia Naturalis, & Experimentalis, diligens & probata, comparata sit, & confecta. Quid enim sibi volunt ista Cerebella Hominum, & potentes Nuges? Fuerunt apud antiquos, placita Philosophorum valde numerosa; Pythagoræ, Philolai, Xenophanis, Heiacti, Empedoclis, Parmenidis, Anaxagoræ, Leucippi, Democriti, Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Zenonis, aliorum. Hi omnes Mundorum argumenta, tanquam Fabularum pro arbitrio confinxerunt, easq; Fabulas suas recitarunt, publicarunt: alias magis concinnas certe, & probabiles, alias duriores. At nostris seculis, propter instituta Scholarum, & Collegiorum, cohibentur ingenia magis. Neq; propterea omnino cessarum est; Patricius, Telesius, Brunus, Severinus Dams, Gilbertus Anglicus, Campanella, scenam tentarunt, & novas Fabulas egerunt, nec plausu celebres, nec argumento elegantes. Num hæc miramur? Quasi vero non possint infinita oriri huiusmodi placita, & Sæcæ, omnibus sæculis? Neq; enim est, aut erit, huiusce rei finis aliquis, aut modus. Alius aliud arripit, alius alia placet; nihil est luminis fisci, & aperti; quisq; ex Phantasia sua, cellulis, tanquam ex specu Platonis philosophatur, ingenia sublimiora, acutius, falsius; tardiora, minore successu, sed aqua pertinacia. Quin non ita pridem, ex quorundam Virorum doctorum, & prout aunc sunt, res excellentium disciplina, scientia (credo propter Varietatis, & Licentia tadia) infra certos, & descriptos Auctores coeherentur, atq; ita cohibita, senioribus imponuntur, adolescentibus instillantur; ut jam quod cavillatus est Cicero in Cæsaris annum) Stella Lyra ex edicto oriatur; & Auctoritas pro Veritate, non Veritas pro Auctoritate sit. Quod genus Institutionis, & Discipline, ad usum præsentem egregie valet; sed idem meliorum indicit exitium. Nimirum primorum Parentum Peccatum, & lumen, & imitatur. Illi Dei similes esse voluerunt, Posteri eorum adhuc magis. Etenim Mundus creatus, Natura præmissus, & dominatur; omnia ita se habere volumus, prout nostra Fatuitati consentaneum fore videtur, non prout Divina Sapientia, nec qualia inveniuntur in rebus ipsæ; nec esse an Res, aut Ingenia magis torquemus; sed plane Sigilla Imaginis nostræ, Creaturis, & Operibus Dei imprimimus, non Creatorum Sigilla eum cura institimus, & agnoscimus. Itaq; non immerito iterum de Imperio in Creaturas decidimus; & cum post lapsum Hominis, ubi hominum dominatio nonnulla in Creaturas reluctantes relicta fuerit, ut per veras & solidas artes, subigi & flecti possint, id ipsum ex insolentia nostrâ, & quia Dei similes esse volumus, & propria Rationis dictamina sequi, maxima ex parte amittimus. Quamobrem si qua est erga Creatorem Humilitas, si qua Operum eius Reverentia & Magnificatio si qua Charitas in Homines, & erga necessitates, & arumnas humanas relevandas Studium, si quis Amor Veritatis in Naturalibus, & Odium Tenebrarum, & Intellectus purificandi Desiderium, orandi sunt Homines iterum atq; iterum, ut missi paulisper, aut saltem sepositis Philosophiis istis voluticis, & præposteris, qua Thebes Hypothesebus anteposuerunt, & Experimentiam captivam duxerunt, atq; de Operibus Dei triumpharunt; summissæ, & cum veneratione quadam, ad Volumen Creaturarum evolendum accedant; atq; in eo moram faciant, meditentur, & ab opinionibus abluti, & mundi, castæ, & integre versentur. Hic est ille Sermo, & Lingua, qui exiti in omnes fines terra; nec confusionem Babylonicam passus est; Hunc perdiscant Homines, & repuerascentes, atq; iterum Infantes facti, Abecedaria ejusdem in manibus habere dignentur. In Interpretatione autem ejus eruenta, atq; enucleanda, nulli operæ pareant, sed strenue procedant, persistant, immoriantur. Cum igitur in Instauratione nostrâ, Historiam Naturalem, qualis sit in ordine ad finem nostrum, in tertia Operis parte collocaverimus; hanc rem prævertere, & statim aggredi visum est. Est enim haud pauca, easq; ex præcipuis, super sint in Organo nostro absolvenda, tamen consilium est, universum Opus Instaurationis, potius promovere in multis, quam perficere in paucis; hoc perpetud, maximo cum ardore, qualem Deus Mentibus, ut plane confidimus, addere solet) appetentes, ut quod adhuc nunquam tentatum sit, id ne iam frustra tentetur. Simul subijt animum illa cogitatio: Spargi proculdubio per Europam, complura Ingenia, capacia, libera, excelsa, subtilia, solida, constantia. Quid si quis tali Ingenio præditus, rationem, & usum Organi nostri capiat, probe? Tamen non habet, quid agat nec quomodo se ad Philosophiam comparet, aut accingat. Si esset res, qua lectione Librorum Philosophicorum, aut disputatione, aut meditatione perfeci posset, sufficeret fortasse ille; quicquid sit, & abunde illud præstaret. Quod si ad Historiam Naturalem, & Experimenta Artium, illum remittimus, (id quod facimus) habet, non est Instituti ejus, non Otij, non Impense. Atqui non est postulandum nobis, ut quis vetera dimittat, antequam in possessionem Meliorum inducat. Postquam autem Natura, & Artium Historia, fidelis & copiosa, collecta, & digesta fuerit, atq; veluti ante oculos Hominum posita, & explicata; non tenuis est spes. Ingenia, de quibus diximus, grandia (qualia & in antiquis Philosophis vigerunt, & adhuc non raro reperiuntur) cum tanta antehac fuerint efficacia, ut veluti ex Scalmio aut Concha, (rara scilicet Experientia, & frivola) Naviculas quadam Philosophia, admirabili structura, quoad officium, edificaverint; multo magis postquam Sylvam, & Materiem nacta sint, solidiores structuras excitatura; idq; licet via veteri pergere malint, nec via nostri Organi (qua ut nobis videtur, aut unica est, aut optima) uti. Itaq; huc res redit; ut Organum nostrum, etiam si fuerit absolutum, absq; Historia Naturali, non multum; Historia Naturalis absque Organo, non parum, Instaurationem Scientiarum sit provecutura. Quare omnino, & ante omnia, in hoc incumbero, satius, & consultius visum est. Deus Vniuersi Conditor, Conservator, Instaurator, hoc Opus, & in ascensione ad Gloriam suam, & in descensione ad Bonum humanum, pro sua erga Homines Benevolentia, & Misericordia, protegat & regat, per Filium suum unicum, Nobiscum Deum.

NORMA HISTORIÆ PRÆSENTIS.

Quamvis sub finem ejus partis Organi nostri, qua edita est, præcepta de Historia Naturali & Experimentalis conscripserimus; visum est tamen, huius, quam nunc agredimur, Historiæ Normam, & Figuram, & accuratius describere, & succinctius, Titulis in Catalogo comprehensis, qui pertinent ad Concreta, Titulos, de Naturis Abstractis, (quarum ibidæ, ut Historiæ Relata, mentione fecimus,) super addimus.

Hæ sunt,

Hi sunt, Materiæ Schematismi diversi, sive Formæ primæ Classis, Motus simplices, Summæ Motuum, Mensuræ Motuum, alia quedam. De his Abecedarium Novum confecimus, & sub finem hujus voluminis collocavimus.

Titulos (cum ad omnes nullo modo sufficiamus) non ex ordine, sed ex delectu sumpsimus: quorum scilicet Inquisitio, aut propter usum erat gravissima, aut propter copiam Experimentorum maxime commoda, aut propter obscuritatem rei, maxime difficilis, & nobilis, aut propter discrepantiam Titulorum inter se, latissime patens ad Exempla.

In Titulis singulis, post Aditum quendam, aut præfationem, statim Topica particularia, sive Articuli Inquisitionis proponimus, tum ad Lumen Inquisitionis præsentis, tum ad Provocationem futuræ. Domini enim Questionum sumus, Rerum non item. Neq; tamen Questionum Ordinem, in Historia ipsa præcisè observamus, ne impedimento sit, quod pro auxilio adhibetur.

Historia & Experimenta omnino primas partes tenent. Ea si Enumerationem, & seriem Rerum particularium exhibeant, in Tabulas conficiuntur; aliter seorsum excipiuntur.

Cum Historia & Experimenta sapissime nos deserant, præsertim Lucifera illa, & Instantiæ Crucis, per quas, de veris Rerum causis, Intellectus constare possit; Mandata damus de Experimentis novis, quantum proficere animo possumus, aptis ad id, quod queritur. Hac Mandata tanquam Historia designata sunt. Quid enim aliud nobis, primo viam ingredientibus, relinquitur?

Experimenti alicujus subtilioris Modum, quo usi sumus, explicamus, ne Error subsit; utq; alios ad meliores, & magis exactos modos excogitandos, excitemus.

Monita, & Cautiones, de Rerum Fallacijs, & qui in inquirendo, & inveniendo possint occurrere, Erroribus, & scrupulis, aspergimus; ut Phantasmata omnia, quantum fieri potest, tanquam Exorcismo fugemus.

Observationes nostras, super Historiam & Experimenta, subteximus, ut Interpretatio Naturæ, magis sit in prociectu.

Commentationes, & tanquam Rudimenta quadam Interpretationis de Causis, parce, & magis suggerendo, quid esse possit, quam definendo, quid sit, interponimus.

Canones, sed tamen Mobiles, sive Axiomata inchoata, quæ nobis inquirentibus, non pronunciantibus se offerunt, præscribimus, & constituimus. Utiles enim sunt, si non prorsus veri.

Utilitati humanae nunquam obliti (licet Lux ipsa dignior sit iis, quæ à Luce monstrantur) Vellicationes de Practicâ, attentioni & memoriæ Hominum subijcimus; cum nobis constet, talem, & tam infelicem esse Hominum Stuporem, ut quandoq; res ante pedes positas, nisi moniti, non videant, sed prætereant.

Opera, & Res impossibiles, aut saltem adhuc non inventas, quæ sub singulis Titulis cadunt, proponimus; atq; una ea, quæ jam inventa sunt, & in Hominum potestate, atq; impossibilibus illis, & non Inventis, sunt proxima, & maxime cognata, subijungimus; ut simul & Industria humana exciteetur, atque animi addantur.

Patet ex anteceditis, Historiam præsentem, non tantum Tertiæ Partis Instaurationis vices supplere, sed præparationem esse non contemnendam ad Quartam, propter Titulos ex Abecedario, & Topica; & ad Sextam, propter Observationes Majores, Commentationes, & Canones

HISTORIA VENTORUM.

Aditus, sive PRÆFATIO.

VENTI humana Genti alas addiderunt. Eorum enim dono feruntur Homines, & volant; non per Aerem certè, sed per Mariam; atque ingens patet janua Commercij, & sit Mundus pervius. Terra autem (quæ Gentis Humanae Sedes est, & Domicilium) Scopæ sunt: Eamque, atque simul Aerem ipsum, everrunt & mundant. At tamen & Mare insamant, alioqui tranquillum, & innoxium; neque alias sine maleficio sunt. Motum, absq; opera humana, cient magnum, & vehementem; unde & ad Navigandum, & ad Molendum, veluti Operarij conducti sunt; & ad multo plura adhiberi possunt, si Humana non cesset Diligentia. Natura ipsorum inter secreta, & abdita reponi solet; Nec mirum, cum nec Aeris Natura, & Potestas, cognita quoquo modo sit; cui famulantur, & parasitantur Venti, ut (apud Pœtas) Eolus Junoni. Primaria Creatura non sunt, nec ex Operibus sex Dierum; quemadmodum nec reliqua Meteoræ quoad Actum; sed Post-nati, ex Ordine Creationis.

TOPICA PARTICULARIA;

SIVE

Articuli Inquisitionis de Ventis.

NOMINA VENTORUM.

I. Describito Ventos, ex diligentia Nautica, & imposito nomina ipsis sive vetera, sive nova, modo constantia.

Venti vel Generales sunt, vel Stati, vel Assectæ, vel Liberi. Generales voco, qui semper flant; Statos, qui certis temporibus, Assectæ, qui frequentius; Liberos, qui indifferenter.

VENTI GENERALES.

2. An sint Venti aliqui Generales, atque ipsissimi Motus Acris; & si sint, in qua consecutione Motus, & in quibus locis spirent?

VENTI STATI.

3. Qui Venti Anniversarij sint, aut redeuntes per vices, & in quibus Regionibus? An inventatur Ventus aliquis ita præcisè Status, ut redeat regulariter ad dies certos, & horas, instar Aëtis Maris?

VENTI ASSECTÆ.

4. Qui Venti sint Assectæ, & familiares Regionum; qui Temporum, in iisdem Regionibus; qui Verni, qui Aëstivales, qui Autumnales; qui Brumales; qui Equinoctiales; qui Solstitiales; qui Matutini, Meridiani, Vespertini, Nocturni?

5. Quales